



1668.

- 1<sup>a</sup> 6. Conringius, Hermannus: De legatione
- 2<sup>a</sup> 3. Conringius, Hermannus: De febre maligna vulgo  
dicta Ungarica. 2 Sempl.
4. Eichelius, Johannes: De h<sup>o</sup>is immunitatione et  
nominatione domini.
5. Glaeserus, Iuschi: De sequestratione
6. Merbomius, Huricus: De motu sanguinis  
naturalis et praeternaturalis.
7. Appelinanus, Henricus: De mensura pretii rerum  
et re numaria in repub. recte constituenda.
8. Wernerus, Georgius: De mora.

1669.

1. Conringius, Hermannus: De officiis h<sup>o</sup>is imperii  
Romano-Germanici.
- 2<sup>a</sup> 6, 5. Conringius, Hermannus: De privilegiis recte confe-  
rendis et revocandis. 3 Sempl. 1669 & 1678



1669.

3<sup>a</sup> Couringius, Hermannus: De contributionibus.

2 Exempl 1669. 1675.

4. Couringius, Hermannus: De jure belli ex publicis  
principale prelectionibus.

5. Couringius, Hermannus: De majestate epusque  
juribus circa sacra et profana potissimis.

6. Eichelius, Johannes: De precariis

7. Eichelius, Johannes: De communiione bonorum  
inter conjuges.

8<sup>a</sup> Wernerus, Georgius: De origine, usu et auctoritate  
juris canonici in foro civili et terris protestant.  
Firm.

8<sup>b</sup> Wernerus, Georgius: De origine, usu et auctoritate  
juris canonici.



J. Wernerus, Georgius: De usu et auctoritate juris  
canonici. in foro civili et terris protestantium

te  
lex  
lat





*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]*





176.

1668, 1  
2

QVOD BENE VORTAT!  
DE  
**LEGATIONE**  
DISQVISITIO POLITICA


QVAM  
IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA  
D. O. M. A.  
SVB MODERAMINE

VIRI

AMPLISSIMI CLARISSIMIQUE  
**HERMANNI CONRINGII**  
PHIL. ET MED. DOCTORIS AC  
PROFESSORIS CELEBERRIMI &c.  
PRÆCEPTORIS SVI MVLTIS NOMI-  
NIBVS ÆTERNVM COLENDI

PVBlicAE CENSVRÆ  
AD D. JUNII  
SVBMITTIT

**GEORGIVS CONRADVS Kincel**  
HELMSTADIENSIS  
AVTOR.



HELMESTADII,  
Litteris JACOBI MÜLLER  
M DC LXIIX.

1677.

*Handwritten mark*





Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a series of entries, though the specific words are not discernible.







Q. D. B. U.

TH. I.



**A**cturo de Legatis & Legationibus, antequam rem ipsam aggrediatur, verbi vis & origo in primis scitu necessaria est. Ut enim conturbatus nominum rerumq; usus ipsarum quoq; rerum cognitionem turbat; sic vicissim principium omnis doctrinae ac eruditionis, ut eleganter alicubi loquitur Epictetus, est nominis investigatio. Cujus ortum dum vides, citius vim intelligis ejus rei, quam cupis introspicere. Itaque & nos, quò facilius veritatem venando comprehendamus, ab eo, tanquam verissimo aliquo principio, meritò nunc auspiciamur.

II.

Et Legatum quidem à legando: seu, ut placet optimo Latinae linguae censori, à legendo, id est eligendo dictum esse, existimamus.

III.

Ubi tamen initio observandum, seduloq; legenti dispiciendum venit, nobis hoc in loco nihil esse negotii cum legato, re scil. à defuncto relicta, & ab ipso præstanda herede;

A

(hoc



(hoc enim esset falcem in alienam immittere messem;) sed de eo præcipuè, qui à Principe vel Republ. superiorem non recognoscente, ad publicum aliquod negotium seu munus expediendum, solenniter mittitur.

IV.

Cujus nominis varias passim apud diversos rei politicæ Scriptores reperire licet significationes. Quastamen vel in vulgus notas hic annotare omnes & singulas, præsentis non fert temporis ratio. Sufficiat interim nobis pro instituto nostro, vel tribus duntaxat verbis indicasse id, quod ab omnibus non æquè animadvertitur: nimirum inter Legatum propriè sic dictum, quo referimus etiam Commissarium seu Deputatum & ablegatum, non levem intercedere differentiam. Id quod præter Arumæum disc. 21. I. P. pag. (m.) 630. §. 4. & seq. Speidel. in Notabil. pag. 409. in voce *Gesandte* & *abgesandte*. Nolden: de Nobilit. p. 400. n. 145. Besold: thesaur. pract: lit: G. diligentissimè annotavit etiam Kirchn. in docto illo quem de Legatis conscripsit libro. pag. (m) 4. n. 6. quando inter cetera se in Comitibus observasse scribit, ut quod in designationibus hospitiorum Legato Regis Hispaniæ inscriptum in foribus fuerit: *Königlicher Würde aus Spanien Gesandte*: aliis vero Principibus Ordinibusque Imperii *Churfürstliche / Fürstliche &c. Abgesandte*.

V.

Neque crediderim ego, temerè hoc ipsum fuisse factum, siquidem non magni quid eo ipso indicare voluissent: aliàs sanè quin idem obtineat hodie, non satis constat, neque nostrum nunc est, curiosius hinc investigare.

VI.

Progredimur itaque ad ipsam potius definitionem, seu qualemcunque ejus descriptionem, qua nimirum ita describitur, quod sit mandatarius publico negotio conficiendo ad  
salu-



salutem reip. solenniter missus ab eo, qui supremam legandi habet facultatem.

VII.

Hic, quando Generis loco posuimus, quod sit mandataris &c. statim excludimus Nuncios, privatæ potius quàm publicæ rei destinatos: siquidem ab his non minus, quàm ab Oratoribus, Commissariis, Deputatis, Legato item Cæsaris & Proconsulis &c. nostrum differre, luce clarius sit meridiana. Ad id vero, ut publicè solenniterque quis missus dicatur, non privata quicquam autoritas operatur, sed publica & independens. Quæ magna cum sit, illustrior tamen magis magisque redditur, quo splendoris externi accessione, tum jure quoque ipso est roborata. Hinc statim addimus sequentia verba.

VIII.

Solenniter missus &c. Illa enim, præterquam quod differentiam in se contineant omnem, simul duas includunt qualitates, quarum altera in ipsa forma, in accidentibus altera consistit. Illa habetur in L. I. C. de mandat: Princ. ibi: *se quis adferat, cum mandatis nostris secretis se venisse, omnes sciant, nemini quicquam, nisi quod scriptis probaverit esse credendum.* Confer. Gloss. landr. lib. 3. art. 63. in verbis: mit seiden Brieffen / &c. cum in jur. in fin. extra de offic. deleg. Be-sold. Thes. pract. in voce Credensbrieff lit. C. n. 40. &c. Legationis siquidem essentialis nota ac quasi character est, ipsum mandatum. Quo deficiente, etiamsi omnia alia adsint requisita, ipsam tamen deficere Legationem, necesse est. Hinc Cic. 3. de Legib. nihil turpius haberi, inquit, quam sine procuratore Senatorem, & sine mandato Legatum existere. Enimvero quemadmodum huic sine mandato venienti, nullus de jure aditus patet; ita nec Legato nostro, qui hac in parte non nihil cum eo convenit. Id quod nonnulli tamen Doctores restringi volunt in Pontificum quorundam Legatis, iis præsertim,



fertim, qui vulgo à latere audiunt. Sed argumenta ipsorum, cum nullius ferme sint ponderis & momenti, imo jam tum à Magnifico Domino Præside in libello, cui titulum fecit Fundament. Fid. Pontific. concussio axiom. II. p. (m) 4. satis doctè refutata, eò quidem nunc Lectorem remittimus benevolum.

IX.

De cetero, de mandato quando hic ingessimus mentionem, non immeritò quæri posset, an ex causa nova, quæ committentem latebat, quandoq; Legati Principum, ex tempore, pro re nata limites ejusdem excedere possint? Sunt non pauci qui re semel statuta & deliberata ab eo, cujus negotium id esset, nullâ putaverint ratione contra dictum ejus esse faciendum, etiamsi repentinus aliquis casus rem omnem commodius agi posse, polliceretur: teneri enim Legatum expendere, mittentem ampliori pollere notitia rerum, & plena agendi libertate, negata sibi per semitam præscriptam ad scopum contendendum, ne secus agens, se ipsum exitio & Principem angustiis vix explicandis involveret. Proinde Cæsar lib. 2. bell. civil. Silanum Legatum rectè & prudenter fecisse scribit, quod manus cum hoste non conseruisset, tametsi victoriam certam relaturus videretur: quia nihil debuit, inquit, contra jussum imperatoris tentare. Sic P. Crassus Mutianus justè ἀρχιτέκτονα suum, detractis vestimentis, virgis excepit, quod non obsequio debito, sed consilio non desiderato responderit. Agell. lib. 1. Noct. Attic. c. 13. Alii contra existimant, incommoda prius, quæ metuenda essent, si res gesta aliter foret, quam impetratum est, cum emolumento spei esse pensitanda. Et, si ea leviora minoraque, utilitas autem gravior & amplior, spe quantum potest firma ostenderetur: tum posse adversum mandata fieri, ne oblata divinitus rei bene gerendæ occasio amitteretur. Gail. l. de P. P. c. 4. n. 30. imò 31. tuti<sup>9</sup> esse inquit, si tempus & occasio ferant, super nova & incidenti causa committentem.



tentem consulere. Nos vero missis aliorum opinionibus, ut breviter, quæ nostra sit sententia, proferamus: cautè, circumspectè & consideratè omnia peragenda esse, censemus, eoque magis, si de Republica, de foederibus, de pacis actionibus, de finibus imperii, de Principis dignitate &c. agitur, in quibus explicandis mandatum egredi non periculosum solum, sed etiã capitale. Interdum etiam Legatorum mandatis hæc clausula subijci solet: *Si quid amplius fieri oporteat, pro locorũ, temporum ac personarum varietate curabit Legatus*: vel ea, quæ est apud Aeschinem pro sua Legatione: *Ut Legati pro sua prudentia, quæ è republ. esse judicabunt, exsequantur*. Non pertinet autem ad ea, quæ non aliter quam singulari mandato debent explicari, hoc est, ad foedera concipienda vel convellenda: sed ad ea tantum, quæ his leviora videbuntur. Nam, si quid est largiendum hostibus, aut sociis, quo imperium eorum cum republ. incommodo proferatur, id Legatis sine singulari mandato non licet. Ac, tametsi privatis in rebus mandato recte paruisse, interpretamur eos, qui uberius ac melius, quàm iussi fuerant, negotium gesserunt: in publicis tamen non eadem utimur interpretatione. Miles enim, qui hostem invasit, aut Magister equitum, qui prælium conseruit, tametsi uterque victor spolia ampla de hostibus retulerit, capitali tamen poena obligantur, si vetante imperatore id fecerint. Hinc Fabium rectè capitis postulatum esse, ajunt, dum vetante Papirio Dictatore hostem invaserat, licet viginti millia hostium, centum tamen civibus amissis, internecioni dederit. Bodin. *lib. 3. de Republ. c. 2.* Et Manlius filio non pepercit præter mandata pugnanti, victori licet.

X.

Præstat ergò nihil omninò agere, & re infectâ domum reverti, quàm aliud agere ac præscripti ratio exigebat. Kirchn. *l. 2. de Legat. c. 6. n. 44.* Hoc enim, ut jam ante dictum, cum

A 3

periculo



periculo non caret, tùm sane Legato, in primis tamen iis, quibus interest, maximo esse solet damno & detrimento. Quâ de re nos infra pluribus agemus, si prius variam ac multiplicem Legati exposuerimus divisionem.



## CAPUT II.

### TH. I.

**C**onfertur publicum Legationis nomen & publicæ privatæq; rei causa, priorque Legatio vel in nomine manet generis sui, & publica etiam nominatur. Posterior libera nuncupatur. Est vero illa aut negotii, aut officii, aut temporis. Altera, quia libera est, nulli certæ rei adstringitur.

### II.

Estq; secundum Alberic. Gentil. c. s. hic: quando publico Legati nomine quis commendatus ornatusque re ipsâ ob privatam exit occasionem. In primis voti causa solvendi, hereditatis adeundę, debitorum exigendorum causa. Cujacius liberam legationem inde dictam vult, quod nullo sit finita tempore, sed redire & abire ei, qui impetraverit, quando cunq; liceat. Et Budæus in poster. annot. in Pandect. tit. de Leg. Legationes liberae, inquit, olim ornamentum secundum causam à Senatu impetrabantur, quemadmodum honorarii magistratus à Principibus honestamenti causa conceduntur, tituloq; tenus obeuntur & geruntur. Haec ab iis Senatoribus impetrabantur, quibus negotia futura erant in Provinciis, ut qui hereditates persequi, aut legata, aut qui nomina exigere volebant in Provinciis, legatorum personis acceptis, cõmendabiliores controversas haberent atq; favorabiliores; quamo-



quamobrem lege XII. Tabularum id vetitum erat his verbis: *Rei sua ne quis Legatus esto.* Quae verba Cicero lib. de LL. exponit. Hæc Budæus: causam finalem potius Legationis, quam quidditatem ipsam & essentiam describens, ut paulo infra demonstrabimus. Quamvis illius dicta confirmari possint testimoniis Ciceronis, qui in Orat. contra Rullum scribit: *Legatos vestros autoritate tenui, qui rerum privatarum causa Legationes liberas obeant, tamen extera nationes ferre vix possunt.* Et in Epist. Famil. *Negotiorum suorum causa Legatus est in Africam Legatione libera.* Et in Orat. pro Flacco inquit: *Liberas Legationes multos saepe bonos viros sumsisse causâ nomina exigendi.* Et rursus in Orat. contra Rullum: *hereditatum obeundarum causa, quibus vos Legationem dedistis:* Idem tertio de LL. *Legatione hereditatis, aut syngraphas persequantur.* Legationis liberæ etiam, qua quis sui commodi, non reip. causa abest, fit mentio ab Ulpian: in *l. qui libera. ff. de Leg.* Hotomannus scribit, tribus de causis liberas Legationes postulari solitas, quarum prima jam dicta, & à Budæo annotata: secunda periculi vitandi gratia, de qua Plutarchus in *Gracch:* inquit: *Senatum Scipioni Nasicæ liberam Legationem in Asiam decrevisse, cum ob mortem Tiberii Gracchi, cujus ille autor fuerat, viderat plebem adversus eundem malè animatam & jam de vindicta cog tantem;* Tertia voti solvendi causa: Cuius meminit Cicero lib. 2. & 3. *epist. ad Attic.* Verum & hic vir aliàs doctissimus & ipse tantum causam finalem, non formalem & quidditativam affert. Præterea, quam *votivam* Cicero appellat, non voti solvendi causa ita dictam, omnes consentiunt; quin in. ò *votivam* legationem alii potius tradunt, ita appellatam à Cicerone, quod ad votum postulantis concederetur: quamvis ego Hotomanno hæc in re potius assentiendum putem, cum in eisdem Epistolis ad Attic. legatur: *legatio libera causa voti:* Et alibi: *votiva ne quidem tibi placebat:*



cebat : etenim erat absurdum , quæ si stetisset Respubl. uovissem , ea me eversa illa vota dissolvere. Quam ob rem nos essentiam legationis liberæ fuisse existimamus , & ob id liberæ esse nuncupatas , quod certum seu præfinitum tempus non haberent , sed ad beneplacitum illius , cui concepta fuerat , perduraret. Quam libertatem tanquam nimiam Cicero in suo Consulatu repressit , annuas faciens ; postea Lex Julia quinquennales indulgit. Ita Cicero ad Attic. lib. V. epist. VI. Habent , inquit , ut opinor , libera legationes definitum tempus lege Julia , nec facile addi potest : itaque adeo genus legationis , ut cum velis introire , exire liceat. Quod nunc mihi additum est : bella autem est hujus juris quinquennarii licentia. Legationis liberæ meminit etiam Brutus lib. II. Epistol. Fam. ep. 1. per hæc verba : Cum in his angustiis versarer , placitum est mihi , ut postularem liberam legationem , mihi reliquisque nostris , ut aliqua honesta causa proficiscendi quæretur. Quæ ultima epistolæ verba ideò benè notanda sunt , quod causam aliquam profectionis illius liberæ in se contineant.

### III.

De cetero larvatum illud , ut sic loquar , genus legationis an tum temporis ex usu fuerit Romanæ magnitudinis , non est nostrum hîc temerè investigare. Certè ipsiusmet sapientissimi Consulis longè alia fuit sententia , quando nil magis indecorum , quam sui commodi non reipublicæ causa quemquam legari. Legatos nostros , inquit , homines autoritate tenui , qui rerum privatarum causa legationes obeunt , tamen exteræ nationes ferre vix possunt. Et alibi : hi enim non maximis opibus , neque summa autoritate præditi ; tamen auditis profecto , quam graves eorum adventus sociis vestris esse soleant. Aliisque in locis quamplurimis , eos , sicuti destitutos procuratione & mandatis , & sine ullo reipubl. munere,



nere, deprimat. Et rectè quidem. Nam rei suæ ergò ne quis legatus sit, non hodie demum, sed præscã jamdudum lege cautum est; ut proinde, si vel nulla alia Veterum scriptorum superessent monumenta, in illis equidem nunc ritè quis subsistat.

#### IV.

Et sic, cum ex illis, quæ de legatione diximus liberã, satis constet, finem illius non publicam, sed privatam ac propriam respexisse salutem: Rei vero publicæ interesse, ne præpostera illius habeatur ratio: hinc porro fluit, non salutare, sed pestilens potiùs & perniciosum reipublicæ fuisse medicamen. Enim verò ubi dominationi libertas, exitio salus reipublicæ, & iniquissimæ prodioni speciosum legationis nomen prætextitur: ubi obtentu hereditatis & debiti exigendi legatus sive clam sive palàm alienis inhiat: ubi deniq; conditio insidiosa veniæ illecebra est potentix: ibi sapiens quivis exitio certo, salutem incertam, dominatui jurato servitute præfert injuratam, legationi fucatæ non immeritò præfert veram & infucatam: imò tanquam iniquam & sociis semper gravem, cane pejus & angue vitat.

#### V.

Deinde ratione subjecti quod, sive objecti, legatio alia est Pacis, alia Belli. Hanc qui antiquitùs obibant, quod foedera facerent seu ferirent, communi Fecialis nomine, Græcis Caduceatores audiebant. *Romani enim, inquit Varro lib. 2. de vit. pop. Roman. bella & tarde & nulla licentia suscipiebant, & quod bellum nullum pium putabant geri oportere, priusquam indicerent iis, à quibus inimicitias factas sciebant, Feciales legatos res repetitum mittebant: qui si postulata impetrassent, fœdus cum iis feriebant, sin minus, re deliberatâ bellum indicebant:* (idque ob hanc fortassis

B

tassis



tassis rationem, ut nimirum & hostes, & quicumque alii, qui, quod factum fuerat, cognoscerent, à quo stet justitia, quique recti fines transilierit, intelligerent.) Quod ipsum tamen quâ ratione factum sit, pluribus verbis commemorant Dionysius Halicarn. Plutarchus & alii. Dionysii, quod totam rem quasi in tabula exhibeant, adscribemus. Is ergo Fecialium institutionem & munera exponens, ita verba facit: *Fecialium, inquit, quando apud aliquam civitatem Caduceatorum funguntur munere, hos ritus à majoribus accepimus. Unus quispiam illorum electus à Collegio, veste augustiore, suisque in signis ferendus ad infestorum hominum agrum profectus, cum primum fines eorum attingit, Jovem ceterosque Deos invocans, testatur à Romanis se venire, jusque suum petere. Deinde juratus, ire se ad injustam civitatem, & si quid mentiretur, seque suosque cives execratus, intra fines ingreditur, & quem primum obviam nactus est, eum testatur, sive is urbanus sit, sive rusticus, & repetitis eisdem precibus atque execrationibus, ad urbem pergit. Quam, priusquam ingrediatur, vel porta custodem, vel primum quemque in porta obvium similiter testatus, ad forum procedit: ibique stans, magistratibus adventus sui causam indicat, semper jusjurandum & imprecationes adjiciens. Tum si ad damnandos auctores injuria deditosque acceperit, abducens eos amicus ipse ab amicis discedit. Quod si tempus ad deliberandum peterent, post decem dies revertebatur idque aliquando tertio, (tot solemnes olim erant: hodie sufficiunt tres dies naturales ex A. B. Tit: von Wiedersageri.) Elapsis autem triginta diebus, si non impetrarent jus suum, obtestatus superos atque inferos, discedebat, hoc tantum prafatus, super eâ re populum Romanum per otium deliberaturum. Deinde assumptis ceteris Fecialibus Senatui renunciabat, omnia se ritè executum, & si velint bellum decernere, licere id illis per Deos.*

*Alia*



Alioquin, si quid horum omissum esset, neque Senatui fas erat decernere bellum, neque populo. Haftenus Dionysius. Cui jungi possunt: Liv. lib. 1. dec. 1. Plutarch in Numa. Non. Gell. N. A. lib. 16. c. 4. & lib. 10. c. 27. Servius sup. Virgil. lib. 9. Corn. Tacit. lib. 5. hist. Alexand. ab Alex. lib. 5. gen. diem. c. 3. Curtius lib. 2. hist. Veget. lib. 1. Althus. c. 35. pol. n. 90. Volaterran. Philolog. c. 30. de more antiqua militia: & novissimè Alberic. Gentil. lib. 10. de jur. bell. c. 12. Ajala de off. bell. c. 1. lib. 1. Carol. Paschal. in legat. c. 56. p. (m) 343. Sueton. in Caligul. Ammian. Marcell. lib. 19. & c.

### VI.

Neq; est, quod putes, ejusmodi membra dividenda non opposita esse, sed subordinata, ita ut prior videlicet pacis, quamcunque aliam contineat. Logicorum illud effatum: quia si non re, saltem ratione, hoc est, negativè opposita esse, sufficit: Pacificatoriam enim dicimus, quæ non est bellica, & bellicam, quæ non est pacificatoria. Quâ in re non assentior illis, qui alios esse pacis legatos, alios belli non ferunt, sed omnem legatum pacis virum esse contendunt. Hoc enim si verum esset, sequeretur exinde etiam non dari belli tempus; quod tamen quàm sit certo certius, trillis clamat experientia.

### VII.

Vulgò Caduceatorum ab autoribus tres constituuntur classes seu gradus: ita ut primi generis sint, ὁ πρῶτος μυστικῶν, qui sacris operantur, aut de sacris potius judicant, (Pollux. l. 8. 319.) Altero loco sunt ii, quorum munus occupatur circa pompas; id est, ad hos spectabat olim cura ordinandæ publicæ & solemnis alicujus pompæ. Tertii generis numerantur illi, qui in foro venalia proclamabant, hosque vocabant ἀγροκόλας, urbanos ac vulgares præcones; Cujusmodi est Mediolanensis ille apud M. Tull. in orat. ad Pison. 38. 205.



### VIII.

Hodie imago duntaxat & Caduceatorum & Fecialium in Heraldico sive rege armorum conspicua est, qui paludamentum Principis sui insignibus pictum gestat, & veste & colore ipso cujus sit imperii, indicat, ejusque dignitatem exhibet.

### IX.

His accedunt tubicines, æneatores, tympanistæ, tabellarii, alique militares nuncii & libelliones, quos jura belli non minus ac Caduceatores, vel ipsa inter hostium agmina, tutos & inviolabiles præstant. Horum ministerio hinc inde mittuntur literæ, tesserae, dicta quoque arcana & occulta, quandoque publica & solemnia, sæpè ita tecta & obscura, ut illi uni, quos inter committant, quid iis denotetur, sciant, non etiam illi, quorum aut ori aut manibus creduntur. Insigne ejus rei exemplum apud Herodot. lib. 5. extat.

### X.

Illa, ut supra indicavimus, in varias rursus consumitur species: quædam enim officii gratia suscipitur, ut est illa, quæ propter honorificam suscipitur præsentiam; quo pertinent gratulationes ob res feliciter gestas &c. quædam honoris ergò, qualis est quæ de victoriis, de novis nuptiis, de inaugurationibus, novis conjugum puerperiis, deque aliis melioris fortunæ eventibus mittitur. Quæ olim & hodiernum frequentissima. Quædam legatio est temporaria, quæ ad tempus non quidem continuum, sed expediti negotii termino præfinito suscipitur: ut, si intra spacium semestre, aut ulterius res illæ, quarum gratia missio facta, exactæ fuerint, illico reditio fiat. Quædam denique perpetua & indeterminata, quæ propriè loquendo non ex certo tempore, sed voluntate & arbitrio Principis judicanda &



da & æstimanda videtur. Et hoc genus legationis qui sub-  
eunt, vocantur vulgò Residentes vel Agentes, quibus nihil  
certi & in specie mandatur, sed certo loco & tempore sub-  
sistere, attentoque animo, oculisque perspicacibus singu-  
la observare, observata Principali referre, nec quicquam  
quod è re mittentis sit fieri, pati jubentur.

XI.

Reliquas tam Legatorum, quam ipsarum Legationum  
varias species hîc, partim quod ab usu recesserunt, partim  
quia notissimæ & ab aliis jam tum ostensæ, consultò præ-  
termittimus: remitto tamen lectorem ad eruditissimum  
Paschalii lib. 1. de legat. ubi de omnibus, quæ huc spe-  
ctant, plenius pertractat.



## CAPUT III.

### TH. I.

**P**otesstatem Legatos mittendi subjectum adæqua-  
tum habere ipsam reipublicæ animam seu Maje-  
statem; adeoque huic primo & per se se compete-  
re, non verò cuivis Magistratui esse propriam, notum vul-  
go est, nec prolixâ id indiget demonstratione. Quando-  
quidem scilicet circa Pacis Bellique arbitrium bona pars  
consistit Regiminis, universum autem respectu præsertim  
ad alios habito, primò & per se se inest τῷ κυρίῳ: necesse  
est ei competat maximè, qui dignitate & autoritate cun-  
ctos alios antecedit, & cui etiamnum in hâc extremâ ferri  
& luti commixtione, (uti loquitur Arniseus *17. de Maje-  
stat. 1. c. 2. n. 9.*) primus inter omnes Reges locus ubiq; ter-  
rarum absque controversia conceditur. Talis ex volun-  
tate



tate & arbitrio omnium Ordinum Imperii, adeoque Regum ac Principum, cum sit Imperator, haecenus equidem nihil obstat, quò minus in solidum hoc ipsi competere dicamus: cum positâ Majestate, ponatur quoque affectio ejus, videl. jus majestatis, quippe quæ ita se se invicem respiciunt, ut neutrum sine alio esse, nedum subsistere possit. At qui Imperatori nostro competit Majestas; per Ordinat. Camer: part. 1. tit. 13 4. & seqq. quia plenitudine potestatis utitur. A. B. Carol. IV. in præfat. circ. fin. & tit. 2. in pr. it. tit. 8. tit. 13. in fin. & tit. 16. Maximil. 1. in der Handlung des Friedens zu Wormbs. An. Chr. 1495. auffgerichtet tit. von Sachen/ so sich von diesen Land-Frieden begeben haben. R. a. de ann. 1544. §. Als wir aber / *ibi*: aus unserer Kayserlichen Macht und Vollkommenheit: cujus effectus est, omnia jura in solidum possidere.

## II.

Minorem (major enim pro certo nunc assumitur) in dubium vocare videtur Joh. Bodinus, quando *in methodo histor. c. 6. & de Republ. lib. 2. c. 6. & lib. 4. c. 5.* præter alia, quod *jura Majestatis*, (quæ & Regalia appellantur, & imperatori competere jam ante diximus,) *sint penes Imperii Principes inferiores, & Civitatum Legatos, iique non solum singulis Principibus ac Civitatibus, sed & ipsi Imperatori leges ferendi, de pace & bello decernendi, ac judices imperialis curiæ, qui de capite, fama ac fortunis omnibus Imperatoris Principum ac Civitatum statuere possint, constituendi jus habeant, & à reliquis, tanquam summam potestatem habentibus, Principes, Duces, Marchiones creentur, Imperator vero à Ducibus & Principibus creari soleat, & huic provincias obeunti, Principes pro sua quisque dignitate quasi peregrino Principi occurrant; item quod Optimatibus ac populo parere, eorumque imperio ac jussibus acquiescere debeat: nec magistratus creet, neque*



neque etiam in Camera aliquid precipui habeat, & sit quidem penes eum dignitas, & aliquid ex vectigalibus & portoriis, præterea nihil, Duci que Venetorum vix par dici possit; &c. Sed ad omnia illa, quæ tam audacter, pace summi viri dixerim, in despectum imperatoris, & ei competentium Regalium, quæ majorum quàm minorum, ut nihil nunc, vel breviter saltem respondeam, præsertim cum ab aliis jam dudum id sit præstitum: videtur tamen vel hoc maxime à vera abesse sententia illa, quod, ut alia ad imperatoris Majestatem summamque potestatem, iisque annexa Regalia pertinentia emittuntur omnibus Regibus aliisque Principibus, quantumvis superiorem non recognoscentibus, hodie etiam Majestate ac dignitate præfulgeat, & non solum nobiles, Barones & Comites, sed & Duces, Marchiones, Landgravios & alios Principes, imò etiam Reges aliquos creandi, & Regalibus feudis investiendi quasi ex plenitudine potestatis, citra alterius Principis aut Ordinum consensum, liberam facultatem habeat: omnesque Status Imperii, & inter eos etiam Principes Imperatorem superiorem agnoscant, juramentoque ei obstricti sint, inque subscriptionibus suarum literarum & supplicationum, quæ ei exhibentur, se subjectissimos nominent, & quæ sunt ejus generis multa alia, de quibus præter alios videri ac consuli potest Theodor. Reinking, *de Regimin. secular. & Ecclesiast.* lib. 1. class. s. c. o. n. 121. & seqq. p. (m) 309.

III.

Proximus ab Imperatore est Rex Romanus. Cui etiam penè non minus quàm Imperatori Majestatis jura ac Regalia competere, eò minus dubium videtur, quod post electionem etiam, tamen si approbatio & coronatio necdum facta sit, Rex appelletur Romanorum, & in nonnullis se tanquam Imperatorem gerat, Regalia etiam aliaque jura ac

privi-



privilegia per eū concessa, & quęlibet alia ab eo gesta, si Imperator sit definitus, perinde veniāt, eoq; habeantur loco, ac si ab ipso imperatore concessa ac gesta essent: qui unum & idē cum imperatore habet tribunal & consistorium, nihilque ab eo differt, nisi ābitu minoris circuli, sicuti scapha differt à navi, ut de ipso loquitur Arumæ. *disc. I. P. p. (m) 2*. Proinde etiā cum in conventu Legatorum Caroli V. Imperatoris & Gallię Regis Francisci I. ann. 1521. Caleti habito, Regis Legati præcedere vellent, & Carolum V. electum quidem, sed nondum confirmatum tum temporis fuisse obtenderent, meritò hujus Legati primas sibi deberi contenderunt, quod ex electione, perinde ac si confirmatus esset, plenam ac liberam haberet potestatem, nec confirmatione opus esset. *Vid. Chassan, in Catal. glor. mund part. 6. confid. 29.*

#### IV.

De utroque, tam de Imperatore quàm Rege Romano, major tandem dubitatio superesse videtur, quod Electores, quorum hodie octo recensentur numero, eādē illa facultate ac potestate polleant. Nam licet, quod de Lydorum Rege olim Justinus dicebat: *eum si non Regiam, Regiæ tamē dignitati proximam egisse vitam*, in illos appositè quadrare quis dixerit: præcedunt tamen in omnibus ad ipsam Curiam Imperii spectantibus, omnes Reges & Principes, cujuscunq; status dignitatis ac conditionis illi sint; idque per expressum A. B. textum *c. 6. in verb. Das kein ander Fürst / welcherley wesen / Würdigkeit oder Ehren der wehre ihnen mit nichten soll fůrgeseket werden.* In tantum sanē eorum crevit autoritas, ut meritò dubites, an ad illam hodie addi multum par sit. Quis igitur ipsi hanc Legatos mittendi facultatem denegabit? præsertim cum speciali Imperatoris, totiusque Imperii consensu concessum ac confirmatum jus illud sibi habeant: præ aliis etiam Imperii



perii Ordinibus quamplurimas habeant insignes prerogativas, ut de Regalibus & alijs apparet ex *Aur. Bull. Caroli IV.* & de iis in specie ostendit *Heigius. q. 4. part. 1.*

V.

Ceterum, quod reliquos Principes seu Status attinet, equidem non facile de his formari potest iudicium. Notissima quidem est communis Doctorum regula: *quemvis scil. Statum imperii tantundem posse in suo territorio, quantum Imperator in corpore seu Imperio toto.* Sed quemadmodum quidem illa ipsa regula suis limitationibus & restrictionibus non destituitur (quâ de videri possunt *Reinking. lib. 1. class. 5. c. 6. n. 157. & seqq. de Regim. secul. & Ecclesiast. Limnæ. L. 4. de jur. publ. c. 8. à 6. usque n. 11. inclusive, Gail. lib. 1. c. 6. n. 16. de P. P. Regner. Sixtin. tr. de Regal. c. 5. n. 121. p. (m) 148. Mingius. de superiorit. territor. th. 54. Autor de jur. Princ. concl. 87. & c.*) ita sanè multum dubii facit, quod Status & Principes Imperii nostri, quotquot illorum sunt numero, non absolute summam, sed dependentem, imperfectam & subordinatam in territoriis suis potestatem exercent. Quicquid tamen sit, crediderim ego plerisque eorum, præsertim jus superioritatis habentes, vel ex concessione Imperatoris, vel ex præscriptione, vel ex consuetudine, rectè Legatos mittere posse. Idque in Principibus Germaniæ (quo refero etiam Comites, Barones & c.) cum primis obtinere, non obscure demonstrat *Johann. Wurmser. exercitat. jur. publ. 4. §. 4. p. (m) 141.* Cui calculum adjicit vir magnæ in Germania autoritatis, *Benedict. Carpzov. c. 2. sect. 13. quando ex consuetudine potius, quàm jure hoc ipsis competere, disertè demonstrat.*

VI.

Neque assertio nostra infirmis nititur rationibus, si quidem ex tabulis Comitiorum imperii, ubi missi ad locum

C

cum



cum Comitibus destinatum, à Statibus sub nomine & qualitate Legatorum frequentissimè veniunt. R. I. de ann 1529. §. Und wir Churfürsten. R. I. de ann. 1557. §. und darauff / juncto §. seq. Das wir demnach. R. I. de anno 1566. §. wie wol wir nuhr auff solches alles / ac passim. Quamvis si accuratè loqui velimus, Legatorum & audiendorum potestas prædicta denominatio analogica potius sit, quàm propria, notante Wurmsero. d. exercitat. 4. q. 4.

VII.

Idem, quod jam dictum à nobis fuit de Principibus superiorem recognoscentibus, multò magis de Urbibus imperialibus, utpote quarum præ reliquis melior est conditio (teste Nobiliss. Dn. Conringio in annotat. ad Jacob. Lampad. libell. part. 3. §. 29,) affirmare licet. Nam etiam si illæ ut plurimum, falsò tamen ab aliis vocentur respública, tales utique propriè & strictè loquendo non sunt, ex eo nimirum, quod respiciunt non minùs caput aliquod, videl. Cæsarem, quàm aliæ: administratio tamen earum nihilominus ferè coincidit cum Rebus publicis propriè sic dictis, eique valdè similis habetur, quando quidem in plurimis saltim liberè agunt & disponunt, quando leges certas & statuta condunt; imò longiore tempore jus illud fuisse usurpatum à Collegiis, quæ in imperio publicâ pactione seu foedere secundum Auream Bullam tit. von den Verbündnissen / coiére, diligentissimis rerum Germanicarum indagatoribus notatum, & dubio procul verissimum. Primum enim illud constat, etsi nulla specialis hæc super re Imperatoris exstet constitutio, quâ Collegia illa & Civitates, præsertim Anscaticæ à jure isto arceantur: tamen quia triplex ille respectus, qui aliàs in omni consuetudine attendi amat, hic intercedit, mirum non est, si nunc tacito consensu eorum, quorum interest, certam ac justam vim legis acce-



acceperit. Tum etiam veritas istius juris potest ostendi, quod nunquam ab Imperatoribus improbatum legatur, quin summo potius favore illud prosecuti, proque illius salute & incolumitate nunquam non solliciti fuerint. Cuius evidentissimum rei exemplum in Rudolpho II. augustissimæ memoriæ & nonnullis aliis reperire licet.

### VIII.

Neque verò putandum, propterea iis hoc denegandum, quod privatorum instar sint ac reputentur loco, quibus jura publica & per consequens etiam jus Legationis, quod publicum vel ipsum audit, competat: siquidem hæc non absolutè & simpliciter, sed saltem secundum quid intelligenda esse, vel puero notum. Nam, ut Petri Heigii *q. 23. n. 30. lib. 1.* verbis utar: *ubi post divisum Imperium Caroli M. auspiciis pax Italia, & ceteris Occidentalibus gentibus reddita esset ibi, ut aliarum rerum omnium, ita quoque jurisdictioni nova apparuit facies. Etenim quæ antea in nullius patrimonio & commercio erat privatorum, nec tantum Civitatum esse cæpit &c. Et quæ ante Carolum solius Imperatoris erant, statu Imperii mutato, non ad Principes solos, exemplis sint Regalia, sed etiam ad Civitates (addo & Collegia) devenerunt. Quo nomine vel ipsis Principibus assimilari, perspicuum evadit, ineptè igitur ad privatorum conditionem ablegantur.* Hactenus ille. Deinde posito, quod ratio isthæc in medium allata, valeret, ac firmo omnino niteretur fundamento, nobis tamen nequaquam adversatur, dummodo consideraverimus, Collegiis ex jure & natura Collegiorum hoc nunquam accommodari, sed quatenus ex eâ ratione & modo, quem supra §. 5. adduximus, consecutum videtur; videlicet ex concessione vel præscriptione Principis. Quod in casu nostro ferè omnes saniores Politici concludunt & plenius eandem hanc pertractat rem Besold. hic §. 4. c. 3. *diss. de Legat.*

C 2

Deniq;



IX.

Denique & Liberis Imperii Nobilibus ( der freyen Ritterschafft zu Francken / Schwaben und Rheinland ) cum exteris per Legatos agendi, jus esse, præter alios doctissimus tradit Kirchn. *de Legat. lib. 1. c. 3. n. 56.* Et rectè quidem. Nam quicquid Imperatori in signum specialis præminentia & Regalis Majestatis reservatum non est, id Ordini Equestri immediatè subdito liberè competit. Jam verò, quod soli Imperatori Legatio ad externos Principes reservata sit, nusquam legimus; ut adeò hinc perperam contrarium ostendere alii laborent.

X.

Hic tamen observes cautio est, non singulis quidem, sed conjunctim consideratis & quatenus ex variis partibus unum aliquod conficiunt corpus, competere. Singuli enim præter inane libertatis nomen parùm habent reliquum, conjuncti verò multa possunt, multùm valent.

XI.

Quod ipsum de Personis dixisse sufficiat. Nunc ad alteram illam classem sine mora progredimur, ubi ostensuri sumus, inter quos propriè commeet Legatio.



# CAPUT IV.

TH. I.

**D**iximus autem superius, Legatum esse mandatarium publico negotio conficiendo &c. subintellige peregrè missum. Hunc missum Græci vocabant ἐξοικιασ τὸν τῶν πρεσβυόντων τὸ ἐξείναι. Eò, quod qui legabatur, quopiam exhibat; Et prisca Græci Legationem ipsam





psam vocarunt ἐκ δὴμὸν πολιτείαν, peregrinam Reipubl. ad-  
ministrationem. Pollux. lib. 4. c. 3. 142.

II.

Ire autem peregrè Legatio dicitur, si com meat inter  
eos, qui, quod summæ rei præsent, pares & censentur &  
judicantur.

III.

Neque verò paritatem hanc, magnitudine opum mo-  
dove finium æstimamus: sed Regiminis qualitate & po-  
testatis magnitudine, prout egregiè Natta *conf.* 608. n. 7. tra-  
dit. Nempe hi illi sunt, quibus est illa, quæ Platoni est ἀν-  
ταρτακτικὴ dignitas, & Aristoteli τὸ κρείον seu summa in  
Republica Majestas, illa videlicet quæ ab se & per se im-  
perat, quæque nullo cujusquam, sed suo proprio nutu &  
auspicio arma sumit ponitque, leges condit & abrogat. ma-  
gistratus creat & eligit, jus habet vitæ & necis in singulos  
&c. Certè, qui ad id fastigii everti sunt, quamvis opibus  
disparēs, fortunâ loco excellentiâ parēs omnino judico  
& assevero.

IV.

Illa paritas & similitudo ut constat, primò omni-  
um prudenti Politico videndum, an is, ad quem mit-  
titur Legatio, jura Majestatis habeat, & si habet, quæ nam?  
Nam, non omnium eadem est ratio, idem quoque status &  
conditio, præsertim in Europâ, ubi multi quidem sum-  
mam se fortunam adeptos jactitant, eo ipso dum leges  
condunt, edicta promulgant, tributa imperant, pecuniam  
cudunt, jus concedunt natalium & quæ sunt alia ejus ge-  
neris; cùm tamen, si dicere quod res est, licet, non nisi  
concessu alterius, puta superioris cujusdam, omnia hæc  
possideant & usurpent, adeò ut non malè quispiam hæc  
cum hodiernâ investiturâ comparaverit. Deinde, quò



numero, loco & existimatione sint in republica apud suos, & apud exteros; siquidem hi longè rectius de fama, vita & actionibus judicant hominum, quàm amici, socii & inquilini. Vnde ex misso de prudentia & auctoritate Principis, de integritate Consiliariorum, de dispositione Senatus, & aulæ judicium apud illos oritur. Ut adeò hinc multum quoque intersit, inter quos Legationes commeent. Interim obiter Dd. monent, ne superstitie Reipublicæ gubernatore ac Principe, ad alium quàm ad ipsum decernatur Legatio, siquidem hâc in parte & olim & hodiernum graviter erratum fuisse à nonnullis, æterna litterarum docent monumenta; nec minùs clarè Alarici illius apud Zosim. lib. 5. legatos mittens ad Stiliconem quasi ad Principem, cum mitti debuissent ad Honorium, docet exemplum.

V.

Quamvis ex adverso non negem, missas quandoque fuisse Legationes non ad similes & omninò pares: ut plurimum tamen apud exteras præsertim Gentes ac Nationes usitatas fuisse, ut ut diversum hodie obtineat, experientia omnium rerum magistra satis evincit.


VI.

Sic quos ad subditos sibi que subjectos Princeps, aut versa vice subditi ad Principem mittunt Legationes, propriè & strictè loquendo tales sunt & habentur, quippe cum nulla hîc intercedat proportio aut similitudo; nisi forsan illum excipere velis casum, quò publica & universorum vertitur salus. Tum enim non tam ii qui agunt, quàm quod agunt & quo nomine, inspiciendum venit: Et tunc quando agunt causam publicam publica que auctoritate Principis sui, quin Legatos dixeris, nihil impedit, dummodò tamen semper ad superiores respectum habueris. Et tantum quoque de illa capitis parte, ubi justo ordine su-

mus



mus persecuti à quibus ad quos Legationes mittantur, nempe ad similes potestate & dignitate. Nunc tertio consideremus ordo postulat, ex quâ tandem classe & ordine talis educi debeat, an ex togatis an ex militibus, an ex illis, qui amiciuntur curia, quod dici solet, toga? Verum, cum vix responderi, nisi offendendo, falsum, nisi erubescendo, quod utrumque tamen à me alienissimum, possit, optarem equidem, ut pro eâ saltim parte omnibus facere possem satis: sed omnibus arridere cum sit difficile, imò ferè *advocator*, eorum saltim mihi spondeo benevolentiam, qui rem ex vero æstimant & reapse judicant.



## CAPUT V.

### TH. I.

**A**ffectu igitur omni seposito, quid statuendum de illa quæstionis parte, *Dd.* inter se nondum conveniunt. Quidam enim moti cum primis exemplo Romanorum, Legationi obeundæ JurisConsultos præficiendos dicunt. Nonnulli, præterquam quod lumen sanguinis apud Aulicos magnum habeat intuitum, & ut novus homo Arpinas fatetur, Nobilitati omnes favere videantur, quia ipsa sit blanda conciliatrix, ut *Cic. in orat. pro P. Sextio* ait, eam provinciam Nobilibus eunt attributam. Aliqui demum Ecclesiasticorum ingenia, utpote à turbis hujus mundi segregata, magis apta credunt esse ad studium pacis, quàm eorum, qui se violentis affectibus abripi patiantur, & nil nisi respectus & despectus obtendere possint: Neque credibile esse, ajunt, ipsos ab intentione bonâ hamatis donis, quibus alii non raro cum  
maxi



maximo detrimento ac damno suorum principalium inescantur, in sequiorem partem abituros. Vnde D. ille Bernardus ad Eugenium suum lib. 4. ab illis summoperè requirit: *Misi post aurum non eant, ait, sed Christum sequantur, nec questum Legationem aestiment, nec requirant datum &c.* Et paulo post; *qui redeant fatigati quidem, sed non suffarcinati, simul & gloriantes, quod non curiosa seu preciosa quæq; terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem Monasteriis, Ecclesiis ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem operum &c.* Quin (2) dicunt, illis propter opinionem religionis, quia vel maxime animos dissidentium in sui complacentiam captivare soleant, majore cum efficacia & successu plenior se se quàm seculares & homines mundanos exhibere posse: nam, etsi duo idem dicant, faciant, non tamen eodem modo, eodem sensu, eodem affectu accipi solere. Vnde Bernardus eundem monet: *Vt Legatos in negotio præsertim religionis eos mittat, quorum sermo adificatio, quorum vita justitia, quorum presentia grata, quique se amabiles præbent non verbo, sed opere, reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. &c.*

II.

Quamvis, si præteriti temporis gesta actaque, unde in futurum consilia à prudentibus peti solent, evolvamur, inveniemus sanè in negotio pacis mittendorum ingenia, non ordinem aut personas, prudentiam magis, quam eloquentiam, idoneitatem magis quàm dignitatem consideratam fuisse. Et ab Ecclesiasticis sæpè longinquas & difficiles Legationes susceptas fuisse, plurima evincunt exempla. Sic Bernardus, qui ob vitæ sanctimoniam sanctus appellari meruit, Moguntiam venit, ut dissidentes Lotharium Cæsarem & Cunradum Imperatorem conciliaret.

Cum



Cum Ludovicus Bavarus & Fridericus Austriacus contrariis Electorum votis ac suffragiis ambo Imperatores electi essent, dissidiumq; in bellum Austriaco exitiale exarsisset, id duo Carthusiani componere annisi sunt. Et cum Carolus VIII Rex Galliarum cum Henrico VII Anglorum Rege bellum gereret, pro tractanda pace Robertus Gaguinus Generalis ordinis Trinitatis se operosum præbuit, uti ipsius in vita Caroli attestatur.

III.

Quicquid tamen ejus sit, equidem non alium præcipuis honoribus ditari velim, quam qui in investigatione rerum sit industrius & ingeniosus, in negotiis Ulysses, in bello Achilles, pietate Numa, in judiciis Aristides, semper & ubique homo actuosus. His dotibus præditus, quacunque tandem in statione positus fuerit, is utilem se Reipublicæ civem ac patrem patriæ præstabit semper.

IV.

Hinc facilè datur intelligi, quam non novitio ac tyroni tale munus aptandum: Canonher *lib. 2. disc. in Tac.* nisi sit officiosa Legatio. Alberic. Gentil. *3. de leg. 14.* sed quam sollicitè sit quærendus idoneus multisque prætentatus exercitiis, is denique qui laudes industriæ fideique magnis experimentis sæpè non semel sociaverit. Quippe senex vulpes miras novit eludendi artes, nec facilè laqueo capitur; quod ex Laërtio refert Tiraquell. *de jur. primog. in pr. n. 92.* Juvenis autem, quod nunquam vel rarò circumventus truncum sæpè esse dixeris potius quam hominem, propterea quod inter pravum & vitiosum quid intersit, judicare nequeat.

V.

Quâ fini ut Legatus ritè & rectè munus exequatur suum, cum Legatio debeatur viris virtute præstantibus, con-

D

stat vir-



stat virtutem regiam & eminentem in eo inveniri debere: cum se habeat ad Principem, ut cor in animali, anima in homine, & Deus quodammodo in universo.

VI.

In primis verò Legato prudentia inesse debet & fortitudo, tum ut prospiciantur peragenda & vitanda, tum ut obviantia vi adhibitâ repellantur. Est siquidem prudentia Legato, velut oculus opem præstans; fortitudo, ut manus, sine quâ oculus velut cæcus redderetur, & sine hac impotens; prudentia consilium ministrat, fortitudo vires, illa jubet, hæc iusta perficit, illa difficultates prospicit, hæc illas frangit. Et quia prudentia sine ceteris virtutibus moralibus stare non potest, cum in eâ ut in medio ipsæ connectantur, ideò aliæ virtutes ab ea disjungi minimè valent.

VII.

Alia siquidem virtus requiritur in nauta & architecto, alia in inferiori ministro. Sic præclarior virtus in Legato quàm in eorundem comitibus exigitur. Et ut nauta proprium non evitat periculum ut communi saluti in navi exstantium prospiciat; pari ratione Legatus, & qui vicem huius supplet, ut Regnum Principatus & cives salvi existant, omni arte, ingenio, viribus, industria ac diligentia uti debet, ut eos belli tempore ad securam tranquillitatis deducat portum, quæ absque insigni aliquâ virtute peragere nemo valebit. Quo fit, ut virtus Legati & sui ipsius gratia & Reipubl. summè sit necessaria: Sui quidem causa; duorum est enim, ut virtute emineat, qui & dignitate micat. Unde Cyrus apud Xenophont. *lib. 8. Pædia Cyri*, non censebat cuiquam convenire imperium qui non melior esset iis, quibus imperaret. In omni enim vita, ut rectè monet Magnificus Dn. Præses in elegantissimo *lib. de civil. prudent. c. 2.* nihil est utilius, quàm in opinio-



opinionem virtutis esse, & Aristoteles idem censet *lib. 7. Polit. c. 10.* cum & omnia dicta & facta legati rumor excipiat, nec magis ei quam soli latere contingat. Reipublicæ quoque causa virtus eminens Legato inesse debet; cum non sibi tantum, sed & patriæ operam suam, consilium vel maximè destinat, destinare profectò debeat gratus patriæ civis.

### VIII.

Quod ipsum tamen non intelligendum ex parte ipsius virtutis, quæ cum consistat in medio, non recipiat majus & minus: sed ex parte subjecti, quorum unus est aptior alio ad medium attingendum, vel ob majorem assuetudinem, meliorem dispositionem natum vel perspicacius rationis iudicium, vel majus gratiæ donum: ut inquit Thom. *1. 2. q. 66. art. 1.* cum & dentur aliquæ etiam virtutes morales, exemplares, politicæ &c. ut idem dicit *1. 2. q. 65. art. 5.* & etiam dentur virtutes heroicæ, vel in summo, quæ apud Theologos bona Spiritus Sancti dicuntur. Hæc verò eminentia virtutis in legato absoluta esse debet, ita ut in omnibus virtutibus mediocritas terminum excedat; vel saltem in aliquibus earum eminens, maximè quæ magis legatum decent.

### IX.

Prudentia igitur & Fortitudo, virtutum gemellæ, legato ad res agendas summè sunt necessariæ: hæc quidem, ut strenuè officium facias tuum; illa verò, ne in auctoritatem mittentis offendas. Quicumque enim sine dono prudentiæ negotiatur, operarium artis expertem agit, qui instrumentorum usum ignorat, adeò ut materiam corrumpat, cui debitam nescit dare formam. Sic imprudens minister, & reipublicæ & particularium res evertit; si curam earum suscipiat nihil promovet. Nam prudentia & cogitata & verba ducit, motus ad normam exigit, & modum

D 2

rebus



rebus agendis præscribit, certum adeò ut sine illa nullum unquam prosperum sperare liceat successum. Hinc Aristoteli etiam vocatur virtus gubernatorum, non quod privatis minus conveniat, sed quod adeò sit necessaria Regibus & summis ministris, ut minus inveniatur capaces reipubl. regendæ, quàm nauclerus ad navigandum sine temone & magnetica specula.

X.

Quam ipsam tamen ostendet Legatus: si ante providet ea, quæ aliter possunt evenire; si de iis omnibus rectè deliberabit: si in omni consilio ea sibi proponet, quæ honesta & utilia suo Principi futura: si nunquam movebitur aliquâ cupiditate, si nihil amori tribuerit aut odio in aliquem, sed publicæ tantùm utilitati operam dederit. Quod si fecerit, comites prudentiæ ipsi fidum quoque auxilium præstabunt, ut sunt diligentia, solertia, iudicium, memoria & commoditas quædam ingenii, quæ *de Xionis* Græcis appellatur.

XI.

Hinc sagax minister sæpius secessum quærît, ubi omnem libertatem adipiscatur trutinandi proposita, meditatione non interruptâ, quæ ex Periandri sententia, quidvis superat. Neque ignorat ad consulta præcipitem, antequam examen sustinuerit, similem esse guloni, qui suffarcinando stomacho, per cibos imprudenter ingestos, dolet à mensa recedens.

XII.

Et cum prævideat quævis incommoda ex propositionibus oritura, hypothesis subjicit thesi & negotia particularia regulis generalibus; experientiam rerum superiorum sumit magistram, media exigit ad finem, diligenter attendit, an concessa res aliqua hostis commodet instituto; exami-



examinat securitatem suam quæ in legatione occurrit cum omnibus circumstantiis : ipse denique ad omnes imposturas obfirmatus nequit circumveniri, sed quicquid desiderat in pactis aufert, vid. Minister. Mazarin. & Richel. cui hoc observatum.

### XIII.

Deinde, tota hominis virtus, cum in duabus maximè cognoscatur rebus, in dicendo videlicet & in faciendo; quid mirum si legati munus, quod non nisi in dicendo, perinde ut ducis partes in faciendo consistere dicamus? Idque eo magis, quo præ cæteris plurima teneatur populo persuadere & magnatibus, quibuscum est agendum. Unde Oratorum Romanorum antiquissimus ait: *per sermonis usum, ab homine bestiam superari*: (addiderim ego eloquentiam, quâ præpolleat in rebus agendis) Hæc enim destitutum, obsecro quid hominis esse dicas? annon eadem putes dici oratorem, ut prisca loquebantur, ἀγλωπῶν? Cuiusmodi est Euripidæus ille:

Τέκτων γὰρ ὦν ἔπρατες οὐ ξυλουργικά.

Λέγει ἀπειθῆανος ὦν ἐπρέσβευε.

*Fabrum dissimulas fabrilis callidus artis.*

*Infans rem populæ legatus & ardua tractas.*

Neq; tamē arculas omnes Rhetorum ei revolutas volumus cum Alberico Gentili 3. *de legat. 6.* tantum quoq; abest, ut perfectum omnibusq; numeris absolutū Oratorem exigamus: sed sufficiunt in nostro legato ea, quæ in advocato Lancellotti 9. *in tr. de advocat. c. 11.* requirit, ut ea, quæ dicenda sunt apertè, si non ornatè, distinctè, si non copiosè, castè & simpliciter, si non elatè ac floridè, oppidanè si non urbanè (vid. Sturm. in schol. lib. 2. de imit.) proponat.

### XIV.

Eloquentiam excipiat multarum linguarum cognitio,



tio, maximè eorum populorum, ad quos legatus noster proficiscitur. Harum enim notitia ingenium excitat, iudicium illustrat, & animum ad res magnas capeffendas accendit, in tantum quidem, ut olim quot linguas quis tenebat, totidem corda habere crederetur, ut de Ennio traditam. Hinc Turcæ majestatem Imperii sui in eo ostentant, ut non alia lingua quam sua, vel legatos exterorum Principum audiant vel iisdem respondeant. Idemque Romanos fecisse Valer. Maxim. testatur *lib.2.c.2.* Ne multis nunc dicam, quàm sæpe eximiâ claritudine hominibus saluti fuerit hæc sollertia loquendi pluribus linguis; ut Themistocli apud Persas, Alcibiadi apud Pharnabazum, Annibali agenti in Italia, & magno illi Pontico Regi in bellis. Nam hic quatuor & viginti gentium ore locutus est. Contra verò, qui Interpretum usi operâ, exitio & ludibrio fuerit. Plutarchus in Catone testis est, quando *sæpius deceptos eos ait, qui vicaria alterius confisi operâ* vid. Joh. Stephani Menochii *Institut. polit. lib.3.c.3.p.(m) 634.* qui rationem ejus rei investigat.

XV.

Sed ante omnia animum in fronte, & candorem gestet in pectore, noritque fide in ipso nihil esse divinius, magisque memoriæ hominum sempiternæ commendatum. *Fides* siquidem juxta vetus illud, *obligat fidem*: omniumque contractuum, foederum, pactorum, omnis denique societatis & amicitiae vinculum est arctissimum, *ipsius justitiae*, ut dicit Cicero *1. & 3. Offic. fundamentum firmissimum sanctissimumq, humani pectoris bonum.* Senec. *epist. 89.* Quam suo Principi debitam non modò omnibus modis probabit; sed & operam dabit sedulò, ne apud eum quoq; Principem, ad quem missus est, in suspensionem aliquam sinistrae fidei aut levitatis incurrat; ne publica Principis negotia



gotia negligendo, aut etiam prodendo, privata sua compendia consecetur. *A* *ἡ δὲ πρὸς ἑαίᾳ* verò & falsâ legatione summoperè abhorreat: utpote quæ cum perfidia ut plurimum conjuncta est: quâ nulla Alecto nec furia infernalis perniciosior: quæque perfido non tantum dedecus, sed perniciem quoque affert.

#### XVI.

Eâ re sobrius sit, nec vino, quo redditur Horatii verbis *arcani fides prodiga, pellucidior vitro*, se invitet aliquantum dapsilius. Hoc enim in aulis hodie usu venire videmus sæpissimè, ut legatis tot vel tot adjungantur, qui eos inebrient, ita ut planè illis animus absit, modò quo secretiora consilia expiscari & electare valeant. Et multi in aulis Principum inveniuntur, qui ad istam artem eruditi, legatorum ædes frequentant, ac, cum loquantur ad voluntatem omnia, nihil ad veritatem, coram gratiam aucupatos esse opinantur. Ab his igitur maximoperè sibi caveat legatus, ne quicquam committat, quo postea sobrius erubescat.

#### XVII.

Interim humanus sit in quemvis, ita tamen ut humanitas illâ cum gravitate quadam commixta sit: quâ efficiet, ut eum diligere & magnifacere omnes cogantur: incredibile enim est dictu, quantoperè conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis.

#### XVIII.

Quæ consistit partim in forma corporis dignitati congruente: quæ apta membrorum compositione movet oculos, & vel hoc ipso delectat, quod omnes partes cum quodam lepore inter se consentiant: partim in generis nobilitate; cui tamen æquiparandi, qui virtute præstant: partim denique in maturâ ætate in qua seniores præferendi ju-



di junioribus, eamque ob causam non modò à consiliis & legationibus, sed omnino à republica sunt arcendi.

XIX.

Quemadmodum autem hîc senes intelligi volumus repuerascentes & deliros, de quibus tritum illud : *ἄνθρωποι γέροντες οἱ γέροντες* : ita nec omnino à legationibus, ut nec à magistratibus prohibendos censemus ætate juvenes, qui animo sunt senes.

XX.

Demum ita vivat, ut sapientissimi Principis mores representet; ita se gerat, ut præclarissimam in persona sua gentem ostendat. Paucis: sit pius, constans & magnanimus, sumptaque ex meritis fiducia, intrepido prorsus animo ad legationis accedat munus. Sed hæc hæctenus.

XXI.


Reliquum nunc esset monere, ut Imperatores, Reges ac Principes, quoties publica exposcat necessitas, de Principatus sui negotiis ad alienum Imperium tales semper vice sua ablegent, qui iis animi & corporis dotibus instructi sint, qui & ei peragenda pares, & in sua mittentis personam ad vivum usque exprimere queant: ex misso siquidem, ut jam ante dictum, de prudentia & autoritate Principum, de integritate consiliariorum, de dispositione Senatûs & aulæ iudicium apud exteros oritur. *Anton. Guevarra lib. 1. cap. 43. num. 194. in Horolog. Princip.* Sed cum hæc alienæ potius sint considerationis, nemo credo vitio mihi vertet, si ea, quæ odiosa aliàs sunt, intacta relinquam. Pergo igitur ad reliqua, & aggredior

CAPVT VI.



## CAPUT VI.

### TH. I.

 Vomodo legatus ab aula vel republica discessurus ad externos mittendus sit, jam tum verbo à nobis traditum in definitione, ubi, ni valdè fallor, dicebatur, quod fieri debeat solemniter: apertius quomodo id intelligendum sit, declaratione nostrâ jam exposituri.

### II.

Solemniter itaque legatum mittere auguror, qui virum gravem ac sapientem, quem legationem obire ac locum suum sustinere vult, mandato instruit docetque, ubi, apud quem, & quid loqui debeat, tum litteris, quò legati non vituperium aut suspensionem falsi, sed ejus ad quem venit assensum & fidem mereatur oratio. Ubi paululum nobis subsistendum.

### III.

Hic, quando mandati fecimus mentionem, probè observandum: mandata alia esse stricta ac definita, alia libera & absoluta: alia item manifesta, occulta alia.

### IV.

Definita & stricta vocamus, quibus certa ac definita negotia secundum datam potestatem conficienda præcipiuntur. Quorum tamen ea vis, natura atque indoles, ut si vel minimum inde abeat, statim deflectat ad vitium & poenam legatus incurrat gravissimam. Neque vero tam amplum continent spatium, ut & fieri laudabiliter, & sine turpitudine omitti possint, quæ præcepta sunt; quin potius accipientem ad diligentem earundem observationem ita adstringunt, ut periculosum sit mutare quicquam in iis vel corrigere, tametsi forte usus id ipsum postulet: imò præcisè tenetur ad illarum observantiam. Quod secus tamen  
E  
evenit



evenit in iis præsertim mandatis, quibus adjecta illa clausula: *Cetera prudentia ac fidei tuæ committimus*; quæ principaliter ac primariò non respicit ipsum mandatum, sed hoc tantùm operatur, ut cum omnes rei agenda modi & occasiones præscribi nequeant, imò nec possint, integrum sit legato, si commodior ac facilior se via aperiat, eam sequi, quàm præscriptorum metam assequatur. Quem sensum eleganter exprimunt *Frideric. Marselaer. lib. 2. diff. 4.* & *Dn. Kirchner. lib. 1. cap. 7. Leg. n. 31.*

V.

Paulò aliter hanc explicant Jureconsulti, quando idem eo denotari affirmant, quod clausula cum libera, quæ speciali æquiparetur mandato. Quod autem in casibus requirentibus speciale mandatum, sufficiat mandatum cum libera, tradit *Socinus junior lib. 1.* Ideoque putarunt *Georg. Schönborn lib. 3. polit. cap. 29.* & *Otto Melander cent. 1. jo. cor. ac ser. c. 187.* posse legatum virtute hujus clausulæ limites mandati pro re natâ transilire. Ex adverso autem quando limitata commissio limitatum quoque producat effectum, & fines mandati diligenter custodiendi sint: hujus clausulæ tantam vim non esse, ut licentiam transgrediendi permittere possit, rectè docet *Herman. Kirchner. de legat. lib. 2. cap. 6. n. 31. & seqq.*

VI.

Libera & absoluta, seu ut *Kirchnerus* loquitur, indefinita vocamus mandata, quæ liberam potestatem negotii expediendi legati prudentiæ & fidei committunt, maximè in illis rebus, quarum consilium & moderatio certa haberi nequit. *Arum. de I. P. diff. 29. vol. 1. concl. 9. p. (m) 270.* Quod genus tamen legationum Græci vocant *αὐτοκράτορα*, *summa potestatis*; eosque legatos, quibus dantur tam libera mandata; *αὐτοκράτορας, τῶν ἐν, κυρίως πάντων*, h. e. omni-



*omnium potentes*; quales ferè mittuntur re summâ in summum discrimen adductâ; danturque ad longinqua negotia, quorum procuratio posita est in providentia legati, & in celeritate omnis.

### VII.

Atque hæc quidem mandata, quantumlibet laxa, hominem prudentem arctius adstringunt, acrem vehementius invitât, prudentem acrius expergefaciunt, strenuum etiam acuunt, atque adeò multò magis, quàm si singula ordine ei præscripta sint. Quippe hi sunt ei statuti termini, ingenium Principis, cui satisfacere inprimis arduum est. Legato enim ad regie publicæ voluntatis interpretationem dirigenda sua sententia est. Adest & salus publica, credita suæ virtuti & fidei. Postremò, quod omnium maximum est, sua fama & existimatio, præ qua sapientibus omnia sunt vilia. Carol. Paschal. *de legat. p. (m) 131.*

### VIII.

Occulta demum mandata nobis appellantur illa, quibus arcanum legationis quod contineatur, legatus nulli mortali oculo subjicit nisi suis. Harum multa exempla pete ex Paschalii loco citato: latius tamen differentem vide Dn. Kirchnerum *lib. 1. c. 7.*

### IX.

In ipsa legatione, hæc Legatus sibi diligenter habeat commendata (1) ne ultra præscriptum quicquam Principis agat, nisi ejus prudentiæ & circumspectioni res permessa fuerit, ne quid agat quod minùs honorificum ei sit qui legavit. (2) quamprimum locum attigit legatus ad eum, ad quem missus est, nomen suum & propositum reponat; Principis sui scriptum mandatum exhibeat. In exhibitione literarum & propria peroratione coram Principe, eas præsentis fortunæ & statui tradat. Caveat sibi ab illo



exemplo Atheniensium legatorum, qui missi ad Lucium Syllam, orationem à Thess. laudibus exorsi, res ab Atheniensibus præclarè fortiterque gestas contra Medos & alios, stultè insolenterque sunt persecuti. Neq; imitetur illud, ubi quis legatus inter alia ridicula & inepta, diversoria quoque sua, quibus in itinere erat usus, ad fastidium usque inculcavit. *Melch. Jun. 1. orat. Argentin. orat. funebr. Pauli Hochfelderii p. 1220. & seq.* (3) debet legatus Principis ad quem missus est, qualitates omnes & singulas probè expiscari: in primis verò formam ejus, hoc est, corpus, oculos, vultum, frontem, unde naturam ejus facilè cognoscere poterit: Deinde observet temperaturam corporis, quam Græci *κεφάλαιον* vocant: utrum novus Princeps sit, an jure hereditario pervenerit ad Principatum; nationem & ætatem Principis consideret: totam ejus vitam, virtutes & vitia: exquirat consilia Principis, ut intelligatur, quocumque ejusdem mens & sententia maxime inclinet; quibus item ministris & consiliariis sit munitus ac stipatus; quæ quantaque ejus sit ditio & imperium, quæ provinciæ, civitates, oppida & loca ipsius ditioni sint subiecta. Quibus omnibus diligenter expensis, inquisitus, consilium, tempus, occasione facile legatus noster ad unius se referet voluntatem. (4) videat legatus, quo sibi Principis primùm, deinde aliorum, qui apud eum autoritate valent, animos conciliet: quod ex virtute, probitate, liberalitate, rebus gestis, mansuetudine morum, comitate, affabilitateq; sermonis; ita tamen, ne aliud sentiat aliud loquatur, facilè sibi comparabit. Interim studeat legatus, quò oratione benigna ejus, ad quem missus est, voluntatem alliciat, partem retineat, atque amicitiam & benevolentiam, quo inter ambos Principes conservetur, promoveat. (5) de rebus omnibus cognoscendis sollicitus sit: ita tamen, ut non speculator  
Princi-



Principis potiùs, quàm legatus videatur, sed modeste investi-  
get ac perscrutetur omnia, id quod nullo planè negotio  
assequetur, si omnibus sui conveniendi potestatem fecerit,  
si nobilissimos viros magnificis conviviorum apparatus  
exceperit. Unde Principi suo, à quo missus, literas cre-  
bras mittat, eum de rebus confectis & conficiendis certio-  
rem reddat; responsa Principis iisdem verbis, quoad ejo fie-  
ri poterit, significet, nec ullo modo addat vel detrahat  
quidquam. (6) denique cum omnia legatus summa fide a-  
gere debeat, munera omnia à se rejiciat; præsertim si illa  
ad corrumpendum, sive aliâ aliquâ turpi de causâ missa  
fuerint.

X.

Quâ in parte Veneti diligentius, quàm ceteræ nationes  
externorum notitiam conquirentes, Oratoribus suis, quos  
ad maximos terrarum Principes legant, id oneris injun-  
gunt, ut post legationem in Senatu referant ea omnia, quæ  
de moribus Principum, de regnorum situ, natura, divi-  
tiis, fertilitate, hominumque ad quos missi sunt, dotibus  
exploraverunt: idque tanta perficiunt felicitate, ut sæpe-  
numero illis manifestiora quàm incolis ea sint, quæ in  
quolibet terrarum angulo usurpantur atque geruntur. vid.  
Scipionis Amirati discursus. in Tacit. 9. p. (m) 208.

XI.

Ceterùm, quod anteverti dicere, solennitas illa, quam  
accidentalem supra nominavimus, in quibus potissimum  
consistat rebus, nunc paucis erit dispiciendum, Quæ par-  
tim in ceremoniis adhibendis, partim in habitu, qui esse  
debet vernaculus vel patrius, non peregrinus, nisi con-  
suetudo aliud suaserit: magis enim deformat alienus, quàm  
quod conformet. Hinc Veteres certas adhibuere vestes,  
quas deponere nunquam & nusquam poterant. Et legatos  
exterarum gentium cultu externo, hoc est, suo Romæ sub



Nerone spectasse ludos, testis est Tacitus lib. 13. annal. Ad habitum quoque refero anulum aureum, de quo *Plin. lib. 33. c. 1.* sagmina, verbenam cum terra adhærescente, laneum filum, quo velati incedebant, frondes oleæ & lauri, filices &c. de quibus omnibus copiosè Dn. Heider. in polit:

XII.

Hinc apud Turcas niger color ipsis inauspicatus est, & sæpè conqueruntur de legatis Christianis, quod nigris vestimentis appareant. Quare etiam ad audientiam deducendi, muneris loco tunicam Turcicam induendam accipiunt.

XIII.

Fuisse tamen herbam sacram & puram, quâ caput patris patrati Fecialis tangeret & circumdaret, ex Livii lib. 1. constat, qui ibidem satis prolixè quot & quales fuerint ceremoniæ describit, & *Plin. lib. 25. c. 9.* ita scribit: *nulla tamen Romana nobilitatis plus habet, quam Hierobotane, aliqui peristerion, nostri verbenam vocât. Hac est, quam legatos ferre ad hostes indicavimus, hæc jovis mensa verritur, domus purgantur lustranturque Et lib. 22. docet: verbenarium dictum, qui verbenas in sacris gestabat: quod pariter testatum reliquit Livius lib. 30. circa finem, ubi de verbena & sagminibus plura: noviter tamen Alberic. Gentilem vide *l. 1. de leg. c. 13. p. 25. 29.* Sed hîc pedè figo. Reliqua quæ supersunt, peculiari elucidatione, si deus vitâ viresq; benignè concesserit, mihi reservabo. D. T. O. M. cœli soli saliq; Domino, corâ quo gentes omnes tanquam gutta è situla reputantur, pro concessis hæctenus viribus, incolumitate & gratia sit laus, honor & gloria in sempiterna secula!*

CORRIGENDA

*C. I th. 4 lin. 14. deleatur ut. c. 11. th. 2. lin. 52. pro concepta fuerat legatur concessa: c. 111. th. 7. lin. 24. legatur: Tum ex eò etiam. Reliqua si quæ occurrent σφάλματα, cum sint leviora, aqvis & benignus Lector facile poterit emendare.*



X 2617648


1077











Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



VORTAT!

1668, 16

2

IONE

POLITICA

DEMIA JULIA

M. A.

RAMINE

I

RISSIMIQUE

CONRINGII

DOCTORIS AC

LEBERRIMI &c.

MULTIS NOMI-

M COLENDI

ENSVRAE

JUNII

TIT

NRADVS Kincf

DIENSIS

OR.

\*\*\*\*\*

TADII,

I MÜLLER

XIX.

1677.

